





De uniformitate in Cantu Gregoriano servanda a Fratibus Eremitis S. Augustini quarundam Provinciarum vide aliam hujus ed. 1726. Jan. 22. P. 2.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa pre- scitae Con- stitutions.

§.1. CUM sicut accepimus Provincia Sicilie, & Italia, ac totus Ordo Fratrum Discalceatorum Reformatorem Beate Marie de Mercede Redemptionis Captivorum multum detrimenti patiantur ex causa Cantus in Choro, quippe qui sine notis, & concentu adhibetur, & valde laboriosam, molestamque admirationem ita inducit, ut nonnulli Religiosi ab assistentia Chori sese abstineant. Hinc est, quod Nos hinc inordinationibus pro Pastoralis Officii nostri debito remedium afferre volentes Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine dilectis filiis Ministro Generali, Provincialibus, Prioribus, & universis Fratibus Discalceatis dicti Ordinis Beate Marie de Mercede nunc, & pro tempore existentibus, ut ipsi de cetero Cantum Gregorianum tantum in Choro omnino adhibere teneantur, tenore presentium precipimus, & mandamus.

Presentium predictorum motu proprio emanatum.

Clausula.

§.2. Decernentes ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, aut interesse habentium consensus, alioque quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci posse, si que in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transmissis.

§.4. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitute munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXVIII. Januarii MDCCXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Extenduntur Privilegia Tertiariarum Ordinis S. Francisci ad Tertiarios Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum.

Dat. 26. Febr. 1728. An. 4.

De Privilegiis Tertiariarum Ordinis S. Francisci vide aliam hujus ed. 1725. Dec. 10. P. 2., & Const. ed. 1726. Jul. 9. P. 3.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Gabriel Barbastr Magister Generalis, & Alexander Illomei Procurator Generalis Ordinis Beate Marie de Mercede Redemptionis Captivorum, quod cum in dicto Ordine usque ab ejus origine, & matura Constitutionibus auctoritate Apostolica confirmatis distincta. 4. cap. 1. constare asseritur, Tertius Ordo utriusque sexus personas constituens floreat, aliqua ex eis emittant, aliae vero vota simplicia observant, & reliquae observantiae regulari proposito religiosi sese addicunt, & inter has aliqua reperiantur, quae separatim regulas in dictis Constitutionibus praescriptas custodiunt, illisque felic. record. Innocentius Papa XI. Praedecessor Noster nonnullas Indulgentias juxta eorum diversum vivendi modum concessit, ut in Literis Apostolicis die octava Augusti 1681., & in aliis die 22. ejusdem Mensis, & anni respective expeditis plenus dicitur contineri.

Expositio facti.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio sub- jungebat pro majori Dei servitio, observantia, & ejusdem Tertii Ordinis augmento illa praescriptio, privilegiorumque concessio, quae ab hac Sancta Sede Tertiariis Ordinis Sancti Francisci impertita fuerunt maxime consentanea sit, ad hoc, ut magis animarum devotio accendatur, similisque Institutum honesta disciplina augeatur, iidem exponentes privilegia hujusmodi Tertiariis secundo dicti Ordinis concessa, ad Tertiarios utriusque sexus sui Ordinis per Nos extendi summo opere desiderant; eo magis, quia Ordo primodictus non solum per communicationem, aut participationem, sed etiam ob individuum, & specialem concessionem omnibus privilegiis Ordinum Mendicantium fruitur, & vigore concessionis, & declarationis a recol. memor. Alexandro Papa VIII. pariter Praedecessore Nostro factae, ac specialis Nostri Indulti verus Ordo Mendicans declaratur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in premissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Proces Magistri, & Procuratoris Generalis d. Ordinis.

§.3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis censuris, & poenis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, privilegia Tertiariis secundo dicti Ordinis S. Francisci,

Derogatorie.

Extenso praedicta.

cisci, ut praefertur, concessa, ad Tertiarios utriusque sexus primodicti Ordinis Beate Marie de Mercede Redemptionis Captivorum auctoritate Apostolica, tenore presentium perpetuo extendimus, & ampliamus.

Derogatorie.

§.4. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit primodicti Ordinis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permanentibus ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transmissis.

§.5. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitute munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in Judicio, & extra, quae presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXVI. Februarii MDCCXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Dat. 16. Febr. 1728. An. 4.

Conceditur facultas Capitulo Generali, & post eum Definitorio Generali Congregationis Hispaniae Ordinis Fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis Captivorum decreta, & statuta condendi.

Alia hujus Const. ed. 1724. Sept. 27. P. 1. facta fuit facultas Capitulo Generali earumdem nominandi judices Conservatores in Provinciis Castella, Legionis, Navarrae &c.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa ad impellendum Pontificem.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ildesofus a Jesu Maria Procurator Generalis Congregationis Hispaniae Ordinis Fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum quod cum Deo dante praedicta Religio jam sit valde extensa, & quotidie plus per Orbem extendatur, eaque de causa maxima difficultas invenitur in statuendo regimine universali, attentis aliis quibus paragraphis Regulae, & Constitutionum suarum in rebus ad gubernium Provinciarum, & ad Capitulum Generalium, & Provincialium celebrationem spectantibus, siquidem ibi praescripta videntur fuisse tantum pro tribus Provinciis Hispaniae decreta, & determinata, & consequenter alibi ad praxim reduci minime posse, Superiores majores ipsius Congregationis novas Constitutiones ad uniforme omnium Provinciarum gubernium, tam haecenus intra, & extra Hispaniarum Regna, & dominia cre-

claram, quam ubicumque in posterum erigendarum, & spectantes etiam ad Capitulum Generalium, & Provincialium hujusmodi celebrationem condere posse summo opere desiderant. Nobis propterea dictus Ildesofus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in premissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Proces Procuratoris Generalis.

§.2. Nos igitur ipsum Ildesofum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Capitulo Generali ejusdem Congregationis proxime celebrando, & post ipsius Capituli celebrationem Definitorio Generali, ut ad effectum praedictum nova Statuta, & Leges universales habendo praeculis ad hanc informationem quasdam nostras Literas desuper in simili forma Brevis die 4. Augusti anni proxime praeteriti pro regimine Provinciae Sancti Joachimi in Regno Poloniae expeditas, ita ut easdem Literas explicare, & extendere, moderari, & accommodare possint, condere libere, & licite valeant, auctoritate Apostolica, tenore presentium concedimus, & impertimur, dummodo tamen omnia nova Decreta in vim facultatis hujusmodi condenda, & facienda, ab hac Sancta Sede prius approbati debeant.

Concessio facultatis praed.

§.3. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.4. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictae Congregationis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXVI. Februarii MDCCXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.





